EPITREPTICA ORATIO. MARCI AURELIJ RONCHIJ SAC. THEOLOGIAE, & J.V. DOCTORIS...

Marco Aurelio Ronchi, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur R. P. M. Sac. Pal. Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur Fr. Damianus à Fonſeca Mag. & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Ludouici Yſtella Sacri & Apoſtolici Palatij Magiſtri Ordinis Prædicat.

202

SERENISSIMO PRINCIPI
COSMO MEDICI
MAGNO ETRVRIÆ DVCI,
Epitreptica Oratio.

MARCI AVRELII RONCHII
Sacræ Theologiæ, & I.V. Doctoris Bonoñ.

MIRVM fortaſſe tibi fuerit Magne Dux Coſme, ecquid mihi, quem tanto Principi nulla meritorum fama commendat, conſilij fuerit, grauiſsimas occupationes tuas, quas potentis Etruriæ populis feliciter moderandis ſuſtines, oratione mea neque verbis elaborata, neque exornata ſententijs interpellare. Nimiæ certe licentiæ & intempeſtiuæ cuidam audaciæ ne id forte tribueres vererer, niſi eam in te eſſe humanitatem pro certo ſcirem, qua quoſcunque non vulgares clariſsimi tui nominis cultores, reſpicere non dedignaris. Sed cum ſuæ erga te obſeruantiæ, ceteri quidem communes quaſdam habeant cauſas, antiquiſsimi claritudinem generis,

ſortunæ opulentiam, imperij magnitudinem, adde etiam præſtantiſsimas & Regias animi dotes, quibus excellis, ego me peculiari quadã & eximia ad te colendum ratione impelli agnoſco, quam vbi aperuero, non dubito quin æquiſsimam & iuſtiſsimam eſſe fateare. Ad ſtudium enim venerationemq. in Sereniſsimam Medicæorum familiam, non nunc primum, caſu quodam, aut ſubito conſilio adducor, ſed hereditarium à maioribus meis hoc ſeruitutis obſequium traho, vt niſi in eo perſeuerare, omni alia cogitatione prætermiſſa contendam, indignus planè ijs, à quibus ſum procreatus, ac degener debeam exiſtimari. Præterquam autem, quod natura comparatum eſt, vt omnes quoad fieri poteſt, quacunque in re Maiorum ſuorum ſimiles ſe eſſe ſtudeant, idque honeſtè fieri arbitrentur, tantò magis, ego mihi meorum in hoc veſtigia ſequenda eſſe intelligo, quanto maiore iudicio Principum eos delectum feciſſe video, in quorum ſe fidem ac clientelam traderent, quibuſque honorificè poſſent, & cum dignitate deſeruire. Itaque ex quo à prima pueritia Medicæos patronos beneſactoresq. noſtros celebrari in paternis latibus audiebam, gratulabar ipſemet mihi, quòd ſub huiuſmodi Regali patrocinio ſuccreſcendum mihi foret, quod confirmatæ ætatis meæ firmiſsimum futurum eſſet præſidium, ac munimentum. Ignoſce quæſo Potentiſsime Princeps, ſi ſpem hanc, iam inde à teneris audacter concepi, quando teſtata glorioſiſsimæ generis tuæ in Ronchiam familiam noſtram beneficia, & cum tenaciter cordibus infixa, tum crebris vſurpata

Maio-

Maiorum meorum ſermonibus, hoc mihi animi & fiduciæ addebant. Ex hoc ipſo fonte, mea hæc ad te ſcribendi audacia nata eſt. Quid vt facerem? Quod cum ſapientiſsimo atque inuictiſsimo Principe Ferdinando cuius digniſsima proles es, facere cœperam; vt nempe vnus ex eo ordine hominum, qui litteras profitentur, & cum in Iuriſprudentiæ, tum in Philoſophiæ ac Theologiæ campis, qualicunque verſatus ingenio, tibi me indicarem, horumq. ſtudiorum, ſi qui ex me fructus poſſent exiſtere, eos Celſitudini tuæ offerrem identidem ac dicarem. Nam illi quidē prouidentiſsimo parenti tuo, cuius memoriam egregijs belli pacisq; facinoribus glorioſiſsimam omnis colet poſteritas ſæculorum, eorundem ſtudiorum meorum quondam primitias obtuli; ſiue cum Bononiæ Vrbe patria optimarumq. artium altrice, Iuris vtriuſque Thæſes publice diſputaui, ſiue cum in arce gentium, Romæ Philoſophicas Theologicasq. aſſertiones propoſui, vtriuſque in certaminis arenam, ſub eius inuictiſsimi nominis tutela, ac patrocinio auſus deſcendere. Clara tum Herois illius in me benignitas extitit, qui nec delata ſibi litteraria munuſcula reſpuit, quinimo ita perhumaniter accepit, vt diffidentem me proprijs viribus in ancipiti dimicatione, beneuolentia ſua erexerit, auctoritate confirmarit, & ex ea ſtirpe agnitum, quæ iam pridem ſe Mediceæ familiæ, totam addixiſſet, & conſecraſſet, ſpem iniecerat fore, vt illius beneficentiæ fontes, qui tot ante Maioribus meis ex iſta Regia Aula manantes intercluſi nunquam fuerant, mihi quoque aliquando

aperirentur. Succeſsiſti tu Inuictiſsimæ Coſme Ferdinando, heres non virtutum minus & gloriæ, quàm imperij & ditionis eius, cum quidem protinus mens omnis, cogitatioq. mea, in te vnum conuerſa eſt, ad quem tanquam fauſtiſsimum Helices,aut Cynoſuræ ſidus, curſum dirigerem omnium meæ vitæ rationum. Inuitant ea quæ ſupra ſignificaui, quinimo vrgent & ſtimulant me Maiorum exempla, ex quibus iam inde ab eo tempore, quo altiora Medicæi dominatus fundamenta Florentiæ iacta ſunt, Æneas Ronchius auus meus, Patria digreſſus,ad Alexandrum ſe Ducem contulit, cumque vir eſſet militari rei deditus, animoq. & manu promptus, nec mediocriter in armis exercitatus, ita ab illo Duce exceptus eſt, vt in militiam eum ſtatim ſuam adſcriberet, cohortibusq. præponens, ad illius temporis pericula depellenda, fideli ac ſtrenua eius opera plurimum vteretur. Tulit ille tum Alexandri iudicio optimi Ductoris laudem in omni bellico munere, ſiue inſtruendæ copiæ eſſent, ſiue ſtationes ſeruandæ, ſiue locus tuendus, ſiue egrediendum in hoſtem, ſiue prælium conſerendum, ſiue ſanguis pro ipſo cui militabat Principe profundendus. Apud quem ſanè rebus ſedatis, confirmatoq. imperio, ita deinceps vixit, vt ab eius latere nunquam diſcederet, cuique ſemel dixerat ſacramentum, ei perpetuam fidem obedientiamq. ſeruaret. Sed vt Æneæ dextera Alexander Dux militariq. opera vſus eſt, ita fratrem eius ac maiorem auunculum meum Gelaſium Sarſinatem Epiſcopum, eiusq. nepotem Ioannem Antonium ſibi ſucceſ-

A ſorem

ſorem conſilijs, rebusq. quæ animo magis, quàm corpore geruntur adhibuit, quibus quidem & in deliberationibus capiendis multum credidit, & legationes ad Principes Reſpublicasq. mādauit, quibus illi cum prudenter, tum feliciter obitis, non mediocrem ab eo gratiam reportarunt. Neque verò cæptum ab iſtis ſagato vno, togatis alijs erga Medicæum nomen, ſtudium in illis ipſis deſijt, aut extinctum eſt, quinimo non interrupta ſerie traductum ad poſteros eſſe video & propagatum. Obuerſantur enim ante oculos Hieronimus parens meus, eiusq. frater Maurelius, qui ambo ab inclyto Coſmo, qui Magni cognomentum in Sereniſsimam familiam veſtram intulit, militaribus copijs præfecti, cum alijs locis, atque temporibus, tum acerrimo illo in primis Senenſi bello, præclara facinora, atque exempla fortitudinis ediderunt. Teſtatum eſt nobilium voce ſcriptorum, & clariſsimis hiſtoriarum monumentis, quid illi egerint in oppugnatione Vrbis, quantumq. ad eam conſequendam victoriam, virtus vtriuſque contulerit, quippe cum non reſiſtentium hoſtium multitudo, non crebra ænearum pilarum eiaculatio, non diſtrictorum enſium fulgor, non arduus, ac difficilis loci ſitus eos deteruerit, quo minus primi murum aſcenderent, aditumq. ſignifero facerent, vt Medicæum vexillum in ſublimi erigere ac collocare poſſet. Vererer equidem, ne cum hæc ad domeſticam, & ad meam aliquo modo laudem pertineant iactantius à me dici viderentur, niſi eò omnia ſpectarent, vt appareat quæ à maioribus tuis, in meos

beneficia collata ſunt, ea non temere, atque fortuitò; ſed ſumma cum ratione collata fuiſſe. Ac cetera quidem ſigillatim recenſere prætermitto. Illud eſt omnium beneficiorum maximum, illud præmium ampliſsimum, illa perpetua quædam & nunquam deficiens remuneratio, quòd Ronchiæ familiæ noſtræ ſemper Sereniſsima Medicæa Domus patuit, nec vllo vnquam tempore, Regia iſta Aula viris mei ſanguinis caruit, qui ei fidelis ſeruitutis operam, & obſequium exhiberent. Eſt hoc proprium, & perenne nobiliſſimi veſtri generis, quos ſemel fidos ſibi deuotosq; probarit, eos perpetuo complecti, propagare beneficia parentum in poſteros, fauorem denique, amoremque ſuum continuare, In natis natorum, & qui naſcentur ab illis. En & hoc ipſo tempore Æneas Germanus meus apud te Inuictiſsime Coſme viuit tibiq; ſeruitutis operam præſtat, tua gratia fruitur, tuis opibus fouetur, ſuſtentatur, ornatur, vt in iſta ſanè fortuna ille ſe beatiſsimum putet. Etenim quod initio dicere cæperam, non poſſum non maiorum meorum commendare prudentiam, qui cum & in Italia, & in remotis terris multos eſſe viderent Principes, cum diuitijs affluentes, tum imperio ac ditione potentes, ceteris omnibus poſthabitis, ſeſe ad Magnanimos Mediceæ Gentis Heroas potiſsimum applicuerunt. Quid porrò aliena Regna trans Alpes, aut Pyreneos, aut longius forte gentium quærerent, vt obnoxij exteris fierent; cum domi, atque in Italiæ luce clariſsimos haberent Proceres, quorum excellens gloria multorum

Regum

Regum luminibus, admirabili quodam ſplendore virtutis officeret. Vitabo comparationis inuidiam, dicam id, quod veriſsimè dici poteſt, Medicæorum Gens ingentes quoſdam ſpiritus ab ipſa natura tulit, quibus præſtanti diſciplina, per longam æui ſeriem auctis & confirmatis, tantam ſibi auctoritatem atque potentiam, virtute duce comparauit, vt ei florentiſsima pace, belloq. Reſpub. faſces ſubmiſerit, conſilijsq. eius diu feliciter gubernata, imperio tandem illius totam ſe poteſtatiq. tradiderit. Cæpit hoc præclariſsimæ familiæ meritum, cum multò antea, tum Magni præſertim illius Coſmi temporibus Florentia agnoſcere, cum inuſitatis quibuſdam, & immortalibus ab eo beneficijs affecta, ad ſpecimen grati animi declarandum (quem honorem nulli vnquam antea detulerat) Patrem eum Patriæ publico decreto appellauit. Huius tanta tamque celebrata prudentia fuit, vt ad eius conſilium, vel pacis, vel belli difficultatibus remedia quærentes Potentiſsimi Principes Regesq. confugerent, adeo vt ea tempeſtate, qua multis inteſtinis diſsidijs Italia, Europaq. omnis agitabatur; hic pro arbitro grauiſsimarum controuerſiarum, à partibus eligeretur. Hic Florentiam non mænibus tantum muniuit, ſacrisq. & profanis ædificijs, ſplendore ſummo & magnificentia exornauit, ſed ſanctiſsimis legibus, atque inſtitutis non ad ſuum, ſed ad Populi commodum excogitatis ſapienter firmauit, & euulſis, quæ gliſcebant ſeditionum ſeminibus, in pacatiſsimo tranquillitatis ſtatu conſtituit. Hic cum eſſet omni

liberali

liberali doctrina excultus, non ignarus quantum bonæ artes vtilitatis vitæ humanæ afferrant, rei litterariæ patrocinio ſuſcepto, euocatos ad ſe vndique viros doctos, & eruditos ita amplexus eſt, vt domus eius, ceu Ptholomæi illius quondam Philadelphi Regia, admirabili eorum numero, velut clariſsimis aſtris refulgeret, ad quam pulſi è Græcia Turcarum armis oppreſſa complures, tanquam ad aſylum, portumq. tutiſsimum confugerunt, per quos effectum, vt extinctæ pridem in Italia Græcæ litteræ reuiuiſcerent, & in ſummum ſplendorem adducerentur. Hic denique cum adeo diuitijs abundaret, vt Craſsis poſſet, & Lucullis, & Cæſaribus adæquari, non congerere eas,ac coaceruare, ac ſub clauſtris habere, aut in ſuperuacaneas, & noxias voluptates effundere gaudebat, ſed quod ſapientes ſanctiq. viri præcipiunt, pulcherrimum illarum fructum exiſtimabat, communicare cum cæteris, & in vſum, vel publicum, vel priuatorum referre, maximeq. bonis in egeſtate conſtitutis ac benemeritis liberaliter elargiri. Ex quibus factis, alijsq. à nobiliſsimo animo profectis, tantam ſibi Vir ille mortalium omnium beneuolentiam conciliauit, eiuſmodi apud poſteros ſui nominis memoriam reliquit, vt nihil iucundius, nihil eo ſplendidius commemorari poſsit. Longior equidem eſſem, Sereniſsimæ Princeps, ſi quantum in hoc parente Patriæ commoratus ſum, tantum in ſingulis, orationis conſumere vellem, qui ex eo prognati clariſsima tui generis lumina extiterunt. Quantã enim ad dicendum materiam

Petrus

Petrus hoc patre digniſsimus ſuppeditaret, in quo quas in Coſmo experta erat virtutes, ita Florentia recognouit, vt in eo auctoritatem, potentiamq. paternam continuare non dubitarit. Quàm multa de Laurentio prædicari poſſent deq. Iuliano Petri filijs, quibus Deo ſic diſponente cõtigit, vt duos Romanos Pontifices modico interuallo, ille quidem Leonẽ decimum, hic verò Clementem ſeptimum procrearet? Quid ipſis Pontificibus clarius? Quorum Leo ſuorum temporum felicitas, incredibili cum in omnes, tum præcipuè in bonarum artium ſtudioſos vtens munificentia, aurea orbi terrarum ſæcula retulit, Clemens & ſi inter aduerſa pleraque iactatus, tanta animi fortitudine, atque conſtantia ex illis emerſit, vt & pacatam Eccleſiam moriens reliquerit, & primus ſtatum Sereniſsimæ veſtræ Domus, hoc quo hodiè potitur Imperio confirmarit. Eius regimen ab Alexandro ſuſceptum, ſic ad magnum illum Coſmum auum tuum tranſijt, vt quemadmodum ſub Auguſto olim Cæſare Roma, ita ſub eo Florentia omnisq. Etruria mirabiliter triumpharit. Cuius quidem Virtus tanta fuit, tamque longe ac late propagata gloria, vt quod Hiſtoricus quidam de Carthagine præfatur, ſatius ducam de illo ſilere, quam pauca dicere. Sereniſsimum Franciſcum item patruum tuum, qui & ipſe Principem ſe laudatiſsimum præbuit tranſcurro atque prætereo. Ac ne de Ferdinando quidem Clariſsimo patre tuo quidquam mihi commemorandum ſtatuo, ne res ab eo, vel in toga, vel in armis, vel domi, vel foris, vel

mari,

mari, vel terra præclarè glorioſèq. geſtas in anguſtum coarctans deteram illas tenuitate orationis meæ, atque imminuam. Vigebunt omnium ſæculorum memoria domi ab eo ſapienter conſtituta, actasq. mari vel terra, de Barbaris prædas, & poſita de illis trophæa omnis ætas admirabitur atque obſtupeſcet. Quorſum igitur hæc de tot tantisq. progenitoribus tuis Magne Dux Coſme, commemoratio pertinet? Vel quid ea ad rem meam facit? Maxime ſanè, nempe vt ſumma ratione Maiores meos adductos oſtendam, qui glorioſiſsimæ Mediceæ Genti ſe peculiariter in famulatum dederint, patrociniumq. veſtrum omnibus omnium Regum nominibus prætulerint, cum quidem euentus ipſe certiſsimus rerum magiſter, nihil ab eis ſapientius fieri potuiſſe comprobarit. Vbi enim Virtus imprimis dominatur,inde qui eò ſtudioſi illius cõfugiunt,meritò bona omnia ſperare poſſunt. Quod igitur cum proauis atauisq. tuis ijdem Maiores mei fecerunt, hoc ipſum me ad te colendum venerandumq., magne Dux Coſme, excitat atque inflammat, cum quidem videam te, ita & parentis tui Ferdinandi, & cæterorum Mediceæ ſtirpis, Heroum virtutes æmulari, vt quod ex eis ſplendoris accepiſti, multo eiſdem plenius, & cumulatius ſis redditurus. Ac tibi quidem Etruriæ principatum non ita pridem aggreſſo, nondum ea edere facinora licuit, quæ gentes omnes egregiæ tuæ Virtutis conſciæ ſibi in tempus inſequens pollicentur. Vt ſe enim initia dant, de futuris progreſsibus omnes facile coniecturam faciunt. Nam & exemplis in-

ſtitutisq.

ſtitutisq. Magni illius Coſmi ac Ferdinandi parentis inſiſtis, adeo vt Religio, Pax, Clementia, Iuſtitia, Virtutesq. omnes ſub imperio tuo lætiſsimè floreant, flagitiorum, ſcelerumq. omnium peſtes, quam longiſſimè explodantur, bonæ artes præmijs & honoribus excitatæ caput erigant, maximoq. in honore habeantur. Tum ſicut Clariſsimus parens Ferdinandus, ita & ipſe terror ingens Thraci Tyranno perfidisq. omnibus hoſtibus es, qui nihil tam, quàm egreſſum inuictæ tuæ Claſsis maria peruolantis, & robur militum tuorum pertimeſcunt. Quas mihi Deus immortalis videre videor Barbarorum ſtrages? Quæ reportata de hoſtibus ſpolia? Quas celebratas victorias? Quas audire videor ouantis Etruriæ acclamationes, ſecundi Coſmi nomen, ac propemodum numen ad aſtra tollentes? Rata hæc obſecro faxit Deus, mihiq. concedat vt Sereniſsimæ Celſitudini tuæ per ea tempora deſeruiens triumphorum tuorum, & ſpectator & præco eſſe poſsim. Interim quod huius qualiſcunque orationis meæ inſtitutum fuit, memini, Magne Coſme, domus meæ erga Medicæum nomen venerationem atque obſeruantiam, quippe quæ laribus ſemper veſtrum nomen miſcuit, vti Græcia Caſtoris, & magni memor Herculis; Proſequor Maiorum meorum veſtigia, qui pace belloq. Maioribus tuis fidam ac diligentem operam nauauerunt, æmulor fratris, qui tibi hoc ipſo tempore famulatur, exemplum. Tibi denique, Sereniſsime & inuictiſsime Coſme, litteraria, ſtudia mea, labores meos, atque vigilias, ac quicquid

quid vnquam, vel animo, vel corpore valeam, meque ipſum totum do, dico, conſecro, nihilq. mihi optatius eſſe ſignifico, quàm vt in Sereniſsimæ Mediceæ domus, ac tuum perpetuum obſequium vitam impendere, extremumq. ſpiritum effundere concedatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE